

ab eius essentia nihil differat. Quam rem etiam Aristoteles asseruit:²⁵ *Itaque idem intellectus et intellectio*, inquit 4. Sapientiae capite 7. Quod si est revera et Aristoteles id recte docuit, cur in Zenone idem, quamvis sub metaphora sensuum non fert? Et quod ipse 5 similitudine cerussae, cuius quaeque pars ut totum, alba est, infert:²⁶ *Et ibi quod dicitur undique videre, audire et posse quod omnis eius pars, quamcumque quis accipiat idem patiatur*; id est videat, audiatur, hoc est intelligat, intelligat autem seipsum, talis autem intellectio est circulo assimilata. Cur ergo Aristoteles ait:²⁷ *Neque 10 Deum necesse est esse sphaericum*, si se ipsum intelligit? Id autem sit sphaerae assimilatum? Quae vero a Zenone dicta sunt, infinitum et finitum, mobile et immobile, eadem locutionis forma dicta sunt ab Aristotele 3. De anima capite 6. haec:²⁸ *Similiter tempus divisibile et indivisibile longitudine*; alio atque alio videlicet sensu. Non aliter 15 ergo contra Zenonis Deum sese exercuit Aristoteles quam contra Deum Xenophanis ab eoque non aliter dissentire voluit, neque aliter etiam cavilla dissolvuntur. Modo Parmenidem ab Aristotele simul cum Melisso suo exercendos producamus.

Parmenidis Melissique defensio

20 De his Simplicius et Philoponus ex Theophrasti testimonio ita ferunt: *Item si immobile aut infinitum, ut Melissus Samius, vel finitum, ut Parmenides Eleata dicere videtur: qui de naturali elemento non loquuntur, sed de illo quod vere est.* De quo idem fere cum Xenophane et Zenone sensit: scilicet, ut Philoponus docet:²⁹ *Ens*

²⁵ ὥστε ταῦτο νοῦς καὶ νοητόν. [ARIST. Metaph. 1072b.21]

²⁶ κἀκεῖ τὸ πάντη ὄραν καὶ ἀκούειν καὶ κρατεῖν λέγεσθαι, ὅτι ἄπαν δὲ ἦν τις αὐτοῦ λαμβάνῃ μέρος, τοῦτο ἔσται πεπονθός. [ARIST. Xen. 978a.12–14]

²⁷ οὐδὲ τὸν θεὸν ἀνάγκη διὰ τοῦτο εἶναι σφαιροειδῆ. [ARIST. Xen. 978a.15]

²⁸ ὁμοίως γὰρ [καὶ] ὁ χρόνος διαιρετὸς, καὶ ἀδιαιρετος τῷ μήκει. [ARIST. de An. 430b.10]

²⁹ τὸ δὲ ἄναρχόν ἔστιν, τὸ δὲ ἐν ἔστι, τὸ δὲ ἀπειρόν ἔστι, τὸ δὲ ἀκίνητόν ἔστι. [PHLP., in Ph. 16.51.2]